

Psalmus

in eo. Attendite fratres: si plātati sumus in domo dñi: si vult̄ florere sicut palma: et multiplicari sicut cedrus libani: et nō are-scere sicut feni sole candente: sicut hi qui vident florere sole absente. Si ḡ nō vultis esse feni: sed palma et cedrus: quid annūciabitis? Qm̄ rectus dñs et nō est iniqtas in illo. Quō nō est iniqtas? Tanta mala facit: sanus est: filiosq; habet: plenaz domū: abundat gloria: exaltatur honorib;: de ini-micis vindicatur et omnia mala cōmittit. Alios innocēs sui negocij: nō rapiēs alie-na: nō h̄ quēquā faciēs: laborat i vincul: in carcerib;: in inopia estuat et suspirat. Quō nō est iniqtas in eo: Esto trāquillus et in-teiligens: nā pturbaris: et in cubiculo tuo obscuras tibi luce. Radiare tibi vult eter-nus deus: noli facere tibi nubiluz de ptur-batione. Esto trāquillus in te: et vide quid tibi dicā. Quia de⁹ eternus est: qz mō par-cit malis adducēs illos ad penitentiā: fla-gellat bonos erudiēs illos ad regnum ce-loꝝ: nō est iniqtas in eo: noli tinere: Ec-ce ego flagellar⁹ sum tñ manifestū est: con-fiteor peccavi: nō em̄ dico me iustuz. Hoc em̄ dicūt pleriq; qn̄ est forte quisq; in aliq miseria: in dolorib;: intras p̄solari illum. Et ille: peccavi fateor: sūt peccata mea: ag-nosco illa. Sed nunq;d tanta peccavi quā ta ille: Ego noui quāta fecit ille: ego noui quāta cōmisit. Peccata mea sunt: fateor il-la deo: sed minora sunt q̄ illius: et ecce ille nihil mali patitur. Noli turbari: trāquill⁹ esto: vt scias qm̄ rectus dñs et nō est iniqtas in eo. Quid si te p̄pterea flagellar mō: qz nō tibi seruat ignem sempiterñ: Quid si illi p̄pterea dimittit modo: qz auditurus est: Ite in ignem eternū: Et qn̄: Lū tu po-situs fueris ad dexteraz: tunīc diceſ positis ad sinistrā: Ite in ignem eternū qui parat⁹ est diabolo et angelis ei⁹. Non te ḡ ista mo-ueāt: trāquillus esto: sabbatiza et annūcia qn̄ rect⁹ dñs: et nō est iniqtas in eo.

Explicit Tract. de ps. XCI.

Incipit Tract. de ps. XCII.

Dicitus huius titulū cū p̄nuncia-
re audiuim⁹: et quid sibi velit de
scriptura dei hoc ex libro genesis
nō est difficile cognoscere: In titulo em̄ tā
q̄ admoneatur in lumine quid int̄ q̄ram⁹.
Inscriptus ḡ est ita. Deus cantici ip-
sius David in die an̄ sabbatu: qn̄
fundata est terra. Recordātes ergo p-
oēs dies quid fecerit de⁹ qn̄ creauit et ordi-

XCII

navit vniuersa a prima die vscq; ad sextum diem: sanctificauit em̄ septimū: qz in illo re-queuit post omnia opera q̄ fecit valde bo-na: et inuenimus eū sexto die secisse: qui di-es hic cōmemorat: quia dicit: ante sabbatū omnia animalia in terra: deinde ip̄o die fecit hominē ad imaginē et similitudinē suam. Non aut sine causa illi dies sic sunt or-dinati: nisi qz et secula sic cursura erant an-teq; requiescam⁹ in deo. Tunc aut requie-scimus si facimus omnia bona. Ad hoc ex-emplū dictū est de deo: Requieuit de⁹ se-ptimo die cū fecisset omnia opa bona val-de. Nō em̄ fatigatus est ut requiesceret: aut modo nō opatur: cuz aperte dñs christus dicat: Pater me⁹ vscq; nunc opatur. Dicit em̄ illud iudeis qui carnaliter sentiebat de deo: nec intelligebant qz deus cum quiete operatur: et semp operat: et semp quiet⁹ est. Ergo et nos quos in se voluit deus tūc fi-gurare: post omnia opera bona habebim⁹ requie. Et quidem opera nostra bona fra-tres que hic opamur in seculo ante requie quasi cū labore sunt: et requiesilla in spe: nondū tenetur in re: et nisi esset in spe defi-ceremus in labore: sed trāseūt opera labo-riosā et bona. Quid em̄ tam bonū: q̄ por-nigē panē esuriēti: Et qd audiebam⁹ mō cū euāgeliū legēt. Quid. n. tā bonū: q̄ id qd admonebat generaliter: Omnis q̄ habet duas tunicas det nō habenti: et qui habet escas pascat esurientē: Nudum vestire bo-nū opus est: Nūquid semp erit hoc opus bonū: Habet aliquantulū labore: sed ha-bet solaciū in spe future quietis. Quantuꝝ aut labore habet q̄ vestis nudū: Bonum opus nō multū laborat: malum opus ha-bet labore. Qui em̄ vestit nudum si habet vnde faciat nō laborat: si nō habet vñ faciat gloria in excelsis deo: et in terra par bōi bus bone volūtar. Qui aut vult spoliare vestitū: quātuꝝ laborat quis enumerat: Et tñ et ista trāsitura sunt: cū venerim⁹ ad illā re-quie vbi nemo esurit qui pascat: nemo nu-dus est q̄ vestiat. Iō qz et ista trāsitura sunt opa bona: et sextus iste dies qficiuntur opa bona valde habet vesperū: in sabbato nō inuenim⁹ esse vesperā: qz requies nostra nō habebit fine. Vespera em̄ p fine po-nit. Si ḡ sexto die fecit deus hoiez ad ima-ginē et similitudinē suā: inuenim⁹ sexto seculo venisse dñm Iesuꝝ xp̄m: ut reformaret bō ad imaginē dei. Primū em̄ tpus tanq; pri-mus dies ab Adam vscq; ad Hoc. Secōm

AA

psalmus

tempus tāq̄ secundus dies a Noe usq; ad
Abraā. Tertiū tempus tanq̄ tertius dies
ab Abraā usq; ad David. Quartū t̄pus
tanq̄ quartus dies a David usq; ad trā-
nīgationē babylonie. Quintū t̄pus tā
q̄ quintus dies a trānīgationē in baby-
loniā usq; ad p̄dicationē Joannis. Sextū
dies iā a p̄dicatione Joannis agit usq; ad
finē: t̄ post finē sexti diei puenimus ad req̄
em. Nōodo ḡ sext⁹ dies agit. Si sext⁹ dies
agitur: videte qđ habeat titulus in die qđ
sabbatū qđ fundata est terra. Iā audiam⁹
ipm psalmū: ipm īterrog⁹ quō fundata
est terra: ne forte tunc facta ē terra. Nec in
genesi sic legim⁹. Qđ fundata est terra:
Qđ nisi cū fit qđ lectū est mō in Aplo: Si
tū statis in fide vt stabiles t̄ imobiles. Lū
oēs qui credut p̄ vniuersaz terrā imobiles
sunt in fide: fundata est terra: tūc fit homo
ad imaginē dei. Qđ significat sext⁹ ille dī
es in genesi. Sed quō fecit illud dō: Quō
fundata ē terra: Christ⁹ venit vt fundaret
terra. Fundamētu aliud em̄ nemo pōt po-
nere p̄ter id qđ positiū est: qđ est christ⁹ Je-
sus. Be illo ergo cantat psalmus.

Expositio psalmi.

Alio līfa.
† indutus est.
† indutus est.
† p̄ciuit se.

Alio līfa.
† firmabit.

Domin⁹ regnauit decorē in-
duit: t̄ induit dñs fortitudinē
t̄ p̄cinct⁹ est. Evidē qđ duas
res induit: decorē t̄ fortitudinē. Ut qđ au-
te: Ut fundaret terrā. Sequit em̄. Et
em̄ cōfirmauit orbē terre: qui non
cōmouebit. Unā cōfirmauit: Quia de-
corē induit. Nō cōfirmaret si solū decorē
indueret t̄ nō fortitudinē. Quare ḡ deco-
rē: Quare fortitudinēz: Utrūq; em̄ dixit:
Dñs regnauit decorēz induit: induit dñs
fortitudinē t̄ p̄cinctus est. Hostis fratres
qđ dñs noster cū venisset in carne: his qui
bus p̄dicabat euangeliz⁹: alijs placebat:
alijs displicebat. Nā diuise sunt aduersus
se lingue iudeoz: alijs dicebat qđ bonus ē:
alijs dicebat nō: sed seducit turbas. Alij ḡ
loquebant bene: alijs detrahebāt: latrabāt:
mordebat: p̄tiabant. Ad eos ḡ quibus
placebat decorē induit: ad eos quib⁹ dis-
plicebat fortitudinem induit. Imitare ḡ t̄
tu dñm tuū: vt possis eē vestis ipius. Esto
cū decorē ad eos quib⁹ placent bona ope-
tua: esto fortis aduersus detractores. Au-
di Paulū aplm imitantē dñm suum: quō
t̄ ipē habuit decorē: habuit t̄ fortitudinē.
Christi bon⁹ odor sum⁹ inq̄t i omni loco: t̄
in his q̄ salui fiūt: t̄ in his q̄ pereūt. Quib⁹

XII

em̄ placet bonū salui fiūt: qui detrahunt
bono pereūt. Qđ suū erat ille odorē habe-
bat bonū: ino bonus odor erat: sed remi-
seris qui t̄ bono odore moriunt. Nō enum-
erat illis: Bon⁹ odor sum⁹: illis mal⁹ odor
sumus: sed xp̄i bonus odor sum⁹ ait in om̄
ni loco: t̄ in his q̄ salui fiūt: t̄ in his q̄ pe-
reūt. Subiecit statim: Alijs quidē sumus
odor vite in vitā: alijs odor mortis in mor-
tē. Quib⁹ em̄ erat odor vite in vitā: deco-
rē induerat: quib⁹ erat odor mortis in mor-
tē: fortitudinē induerat. Si ast tunc gau-
des qđ te laudāt hoīes: t̄ placēt illis bona
opa tua: cū autē vituperauerint deficis in
bonis opibus: t̄ quasi fructū honoris ope-
rū te p̄didisse arbitraris: qđ inuenis rep̄hē-
sores: nō stetisti imobilis: nō p̄tines ad or-
bem terraz qui nō cōmouebit. Induit do-
minus fortitudinē t̄ p̄cinctus est. Be ipso
decore t̄ fortitudine habet alio loco aplus
Paulus: Per arma iusticie dextera t̄ sini-
stra. Vide vbi decorez: vbi fortitudinem.
Per gloriā t̄ ignobilitatē. In gloria deco-
rus: in ignobilitate fortis. Apud alios glo-
riosus p̄dicabat: apud alios ignobilis p̄tē
nebas. Decore afferebat eis quibus place-
bat: fortitudinē aduersus eos quib⁹ disipli-
cebat. Et sic enumerat omnia usq; in finē:
vbi dicit: quasi nihil habētes t̄ omnia pos-
sides. Lū omnia possidet decor⁹ est: cū
nihil habet fortis est. Nō ergo mirū est si se
quitur: Etenim firmauit orbem terre qui nō
cōmouebit. Quō em̄ nō cōmouebitur or-
bis terrarū: Lū credut in christū omnes fi-
deles t̄ pati sunt ad utrūq; gaudere: cum
laudātibus fortes esse aduersus ritupan-
tes: n̄ mollescē linguis laudantiū: nec fran-
gilinguis rituperantiū. Forte queramus
t̄ de hec vbo: quare dixit p̄cinct⁹ est. Lin-
ctio opera significat. Lūc em̄ se quisq; cin-
git cū opaturus est. Sz quare nō dixit: cin-
ctus est: sed p̄cinctus est. Bicit em̄ in alio
psalmo: Accingē gladiū tuū circa femur
potentissime: popl̄i sub te cadent. Nec ibi di-
xit cingere: neq; p̄cincte: sed accingē. Ac
cingeris em̄ qđ aliquā adiūxerit lateri tuo
p̄cinctionē. Nō accingere gladiū tuū. Bla-
dius dñi vñ debellavit orbem terraz occi-
dēdo spūs neq; in veritate sermonis dei.
Quare circa femur accingē dī gladiū: Ali-
ud quidē de alio psalmo ad cinctiōnē dixi
m⁹: sed tū qđ cōmemoratu⁹ est nō est p̄ter-
mittendū. Quid est accinctio gladiū circa
femur: Per femur carnē significat. Nō n-

Psalms

aliter debellaret dñs orbem terrarū: nisi in carne veniret gladi⁹ veritatis. Hic g̃ qua-
re p̄cinct⁹ est: Qui se p̄cingit: ante se ponit
aliquid quo p̄cincitur. Un⁹ dictū est: Pre-
cinctus est līntheo ⁊ lauit pedes discipulo-
rū suorū. Quia enī tunc hūlis fuit q̄n līn-
theo p̄cinctus est: lauit pedes discipulorū
suorū. Omnis aut̄ fortitudo in humilitate:
qr̄ fragilis est omnis superbia: ideo cum de
fortitudine diceret: addidit p̄cinctus ē: vt
recolas dēū p̄cinctū humilez: q̄n pedes
discipulorū lauit. Et exhorruit Pet⁹ do-
minū suū magistrū suū: mīn⁹ dixi magistr⁹
suū: cū dixissem dñm suū curuātē se an̄ pe-
des suos: ⁊ lauātē sibi pedes expauit ⁊ dix-
it: Dñe nō lauab̄ mihi pedes. Et ille: Qd̄
ego facio tu nescis mō: scies aut̄ postea.
Et ille: Nō lauabis mihi pedes in eternū.
Et ille: Si nō lauero te: nō habebis partes
mecū. Qui p̄mo Petrus expauerat dñm
lauantē sibi pedes: plus expauit nō habe-
bis partē mecum: ⁊ credidit non sine causa h̄
facere dñm: nisi qr̄ erat illud forte sacramē-
tum: ⁊ ait: Dñe nō pedes tm̄: sed ⁊ caput ⁊
totum. Et ille: Quis locutus est semel no ba-
bet necessitatē iterū lauandi: sed est mun-
dus totus. Nō ergo ad sacramentū tanq̄
mūdatōis p̄tinebat qd̄ lauit pedes eis: sed
ad exemplū humilitatis. Hoc enī dixerat:
Qd̄ enī ego facio nescis: scies postea. Gi-
deamus si scierūt postea: videamus si ape-
rūt illis qd̄ faciebat: vt videamus dñm p̄
cinctuz fortitudine: qr̄ in hūlitate est tota
fortitudo. Cū lauisset eis pedes rursus di-
scubuit: ⁊ ait illis: Bicul̄ me magistrū ⁊ ve-
rū dicitis: sū etenī: Bicul̄ me dñm ⁊ vep̄
dicitis: sum etenī. Si g̃ ego magister ⁊ do-
minus vester: laui vobis pedes: quō opor-
tet vt hoc vobis inuicē nō faciat: Si g̃ in
hūlitate ē fortitudo: nolite timere supbos:
Humiles tanq̄ petra sūt. Petra deorsum
videſ: sed solida ē. Supbi quid: Quasi fu-
mus: ⁊ si alti sunt euāescūt. Ergo ad hu-
militatē dñi referre debemus qd̄ p̄cinctus
est: fm̄ cōmemorationē euāgeli⁹ quod pre-
cinctus est ⁊ lauaret pedes discipulis su-
is. Est aliud qd̄ in hoc verbo possim⁹ in-
telligere. Bicul⁹ qr̄ qui se p̄cingit ante se
ponit qd̄ sibi adiungit vt se cingat. Quia
ergo illi qui detrahunt nobis: aliqui nobis
absentib⁹ faciūt tanq̄ post dorsum suū: ali-
q̄n̄ coram in facie: sicut dñs faciebat pen-
denti in cruce: Si filius dei est descēdat de
cruce: Nō opus habes fortitudine q̄n̄ tibi

XCII

aliquis detrahit absenti: qr̄ non audis nec
sentis: si aut̄ in faciez tibi dicat opus est vt
fortis sis. Quid est fortis sis: Ut feras: ne
forte ideo te putes forte cū audieris: qr̄ p-
cutis pugno victus cōvictio. Nō est ista for-
titudo: si vixis p̄cutias: cuz ab ira vixis
es. Et valde stultū est hoīem victū fortem
dicere: cū dicat scripture: Melior est qui
vicit irā: q̄ qui capit ciuitatē. Meliore di-
xit ire victore: q̄ ciuitatē captiuatorē. Ha-
bēs g̃ aduersariū magnū i teipso: Cū audi-
to cōvictio ira cepit surge: vt reddas malū
p malo: recordare verba Ap̄li: Non red-
entes malū p malo: neq̄ maledictum p
maledicto. His verbis recordās frangis
irā: tenes fortitudinē: ⁊ qr̄ corā te ille male
dixit: nō post dorsum tuu⁹ p̄cinct⁹ es illa:
Iā cetera audiam⁹: brevis psalm⁹ est. Et
enī p̄firmavit orbem terre: qui nō cōmoue-
bitur. Videlis fratres multi credūt in chri-
stū: magna turba est: ⁊ tamē in hac magna
turba audistis mō cū euāgeliū legeretur:
qr̄ veniet dñs ferēs paleam in manu sua:
⁊ mundabit aream suā: frumentū recōdet
in horreo: paleas cōburet igne inextingu-
ibili. Sunt ergo p totam terrā boni ⁊ mali.
Bonī grana sunt: mali palea. In areā in-
trat tribula: paleā concidit: triticū purgat.
Quis est g̃ orbis terraz qui nō cōmouebi-
tur: Quod utiq̄ nō diceret: nisi esset ⁊ orb̄
terrā qui cōmouebit. Est orbis terrā qui
nō cōmouebit: est orbis terrā qui
cōmouebitur: qr̄ ⁊ boni q̄ stabiles sūt in fi-
de orbis terrā est: ne quis diceret: in par-
te sunt: ⁊ mali q̄ nō stāt in fide cuz senserint
aliquā tribulationē q̄ orbē terraz sunt. Est
g̃ orbis terraz mobilis. Est ⁊ orbis terraz
imobilis: de q̄ dicit Ap̄lus: Vide orbē ter-
rā imobile. Rogo te de quibus dicebat
Ap̄ls: Ex quib⁹ est Hymene⁹ ⁊ philetus:
qui circa veritatem oberrauerūt: dicētes re-
surrectionē iam factā esse: ⁊ fidē quorsidāz
subuerterūt. Nunqđ isti ad orbē terrā p
tinebāt qui nō cōmouebit: Sz palea erāt.
Et fidē inq̄t quorsidā subuerterūt. Nō dixit
oīm: ⁊ si oīm diceret: oēs intelligere debere
mus p̄tinētes ad ciuitatē babyloniam: q̄ ha-
bet dānari cī diabolo: Ti fidē quorsidāz
dixit: ⁊ quasi diceretur: ⁊ q̄s eis pōt resistē
re: subiecit statim: Firmū autē fundamētū
dei stat. Ecce habes orbē terrā qui non
cōmouebit: habēs signaculū hoc. Qd̄ si-
gnaculū habet firmū fundamentū: nouit
dominus qui sunt eius. Iste est orbis ter-

Psalmus

raruꝝ qui nō cōmouebitur: nouit dñs qui
 sunt eius. Et quod signaculū habet: Et re
 cedet ab iniustia omnis qui nominat no
 men dñi. Nō modo ab iniuitate recedit: ab
 iniquis em̄ non pōt recedere: qz mixta est
 palea tritico vsg dum vētiletur. Quid di
 cimus fratres: Et in ipsa area: mira res est
 de tritico: Recedit a palea cū expoliatur:
 t nō recedit ab area cū trituraſ. Quando
 aut oīno separabit: Cum venerit ventila
 tor. Ergo nō area in orbe terrarū est: ne
 cessē est vt si pficis inf iniquos viuas. Ab
 iniquis recedere non potes: ab iniuitate
 recede. Recedat ab iniuitate oīs qui no
 minat nomē dñi: t erit in orbe terrarū qz nō
 cōmouebit. Parata t est sedes tua
 de⁹ ex illo: Sedes tua deus ex illo. Ex
 illo qd est: Ex tūc. Lanq̄ si diceret: Que
 est sedes dei: Ebi sedet deus: In sancti su
 is. His esse sedes dei: Para locū in corde
 tuo vbi sedeat. Que est sedes dei: nisi vbi
 habitat deus: Ebi habitat de⁹: nisi in tem
 plo suo: Qd est templū eius: Aut parieti
 bus instruit: Absit. Nō sicut iste est forte
 templū ipius: qz valde magn⁹ est: t digna
 res que capiat dñm. Nec capit eum a quo
 factus est. Etvbi caput: In anima quieta:
 in anima iusta: ipsa illum portat. Magna
 res fratres. Lerte magn⁹ est de⁹: Fortibus
 grauis ē: at infirmis leuis est. Quos dixi
 fortes: Supbos qz quasi habet p̄sumptio
 nē virū suarū. Nā infirmitas illa in humili
 tate maior fortitudo est. Audi Apostolū
 dicente: Quādo infirmor tūc potes sum.
 Hoc est qd cōmendauit: quia dñs p̄cinc
 tus est fortitudine quādo humilitatē doce
 bat. Ergo ipa ē sedes dei: que apte alio lo
 co in p̄pheta dicitur: Sup quē requiescat
 spiritus meus. Id est vbi requiescat spiritus
 dei: nisi in sede dei. Audi quō describat ip
 san sedē. Forte auditurus eras marmora
 tā domū: amplā: spacioſam: atriorum ma
 gnitudine t fulgore tectoruꝝ. Audi qd sibi
 paret deus. Sup quē requiescat spūs me
 us: Sup humilē t quietū: t tremientē ver
 ba mea. Ecce humilis esto t quietus: vt et
 in te habitet deus. Altus est deus: non in
 te habitat: si altus esse volueris. Lerte alti
 us vis esse: vt habitet in te deus: hūlis esto
 t tremēs verba eius: t ibi habitat. Non ti
 met tremētē domū: qz ipse illā firmat. Pa
 rata ē sedes tua deus ex illo. Ex illo: id ē ex
 tūc: id est quasi quoddā tpus significat ex
 tūc. Ex quo: Forte ex die aī sabatū. Ex

Alia lfa.
t nō haber.
t tunc.

XII

illo qz titul⁹ psalmi p̄scribit nob ex qz: Sex
 to em̄ die: id est tēpore buius mundi sexto
 venit dñs in carne. Ex illo ḡ: Plane ex il
 lo scdm hominē: ex illo ex vtero. Quid em̄
 dicit aliis psalmus: In splēdore sanctoz
 ex vtero. In splēdore sanctoz: id est vt il
 lumineſ sancti: vt videat deū in carne: et
 purget cor vnde videat in diuinitate. In
 splēdore sanctoz ex vtero. Sed quid ibi
 sequit: Me forte ex vtero inde incipere pu
 tares esse c̄hristū: ante lucifēr genui te. Lā
 dixisset: In splēdore sanctoz ex vtero: Ib
 iecit statim: ne putares christū a tpe esse ce
 pisse ex quo natus est: sicut cepit Adā: sic
 Abraā: sicut David: Ante lucifērū genui
 te: ante omne qd illuminatur. Per lucife
 rum em̄ aut stellas omnes significat: t per
 stellas tpa: quia fecit deus stellas in signo
 temporū: vt ante tpa inuenias natum esse
 christū: t qui nat⁹ est ante tpa nō pōt vide
 ri natus ex tēpore: qz t tēpora creatura dei
 sunt. Et vtqz si oīa q ipsum facta sunt t tē
 pora q ipsum facta: aut certe ante oīem spi
 ritū qui illuminat: de sapientia dixit: Ante
 lucifērū genui te. Intendat caritas vestra.
 Quomō ergo cum dixisset: Ex vtero: velu
 ti precauit fidei nostre ne inde putaremus
 cepisse christum: ex quo ex vtero virginis
 natus est: subiecit statim: Ante lucifērū ge
 nui te: sic t hic cum dixisset: ex illo: id est ex
 quodā tēpore: ex die ante sabbatū: ex illa
 sexta etate mundi: quādo venit christ⁹ t in
 carne nat⁹ est: Et quia dignatus est homo
 factus ppter nos de⁹: non solū ante Abra
 am: sed ante celum t terrā: qui dixit: Ante
 Abraā ego sū: Nō solū aut ante Abraā: s
 ante Adā: non solū ante Adam: sed ante
 omnes angelos: ante celū t terrā: qz om
 nīa q ipsum facta sunt: subiecit ne tu inten
 dens diem nativitatis domini ex quo na
 tūs est: putares ex illo esse cepisse: Parata
 est sedes tua deus. Sed quis deus: A se
 culo tu es. Ab eterno dixit aīo αιωνος
 sic habet grecus: αιων. aliquando seculuz
 ponit: aliquādo eternū ponit. Ergo o
 tu qz ex illo videris natus ex eterno es. Nō
 aut nativitas humana cogitetur: sed cogi
 tetur eternitas diuina. Ergo cepit ex quo
 natus est: crevit: audisti euangelium: ele
 git discipulos: impleuit illos: ceperit pre
 dicare discipuli. Forte hoc est quod con
 sequēter dicit. Eleuauerūt flumina
 domine: eleuauerūt flumina t voīes
 suā. Eleuauerūt flumina t voīes

Alia lfa.
t suā

Psalmus

suas: Que sunt ista flumina que eleuaerūt voces suas: Non audiūm⁹ neq^z quādo natus est domin⁹ audiūm⁹ locuta flumina: neq^z quādo baptizatus est: neq^z qn passus est audiūm⁹ locuta flumina. Legite euangeliū: tⁿō inuenitis qr locuta sunt flumina. Parū est: qr locuta sunt: Eleuaerūt voces suas. Nō solū locuta sunt: sed fortiter magne: excelse. Que sūt ista flumina q locuta sunt: Biximus qr in euangeliō nō legimus: tñ ibi queramus. Nā si ibi nō inuenimus: vbi inueniem⁹: Ego vobis sin gere potero: t subito ero nō certus dispensator: sed ineptus fabulator. In euāgeliō queram⁹: simul qram⁹ q sūt ista flumina q eleuaerūt voces suas. Stabat Jesus t clama bat: dictū est in euāgeliō. Quid clama bat: Ecce iā ipm caput fluminuz clamat: ipse fons vite vñ sūt flumina cursura: leua uit prior vocē suaz. Et qd stabat Jesus et clama bat: Qui credit in me sicut scriptura dicit: flumina aque viue de vētre eius flu ent. Euāgelista sequit statim. Hoc aut dī cebat: de sp̄i quē accepturi erant hi qui in eum erāt credituri. Spiritus aut nōdū erat datus: qr Jesus nondū erat glorifica tus. Lū aut glorificat⁹ est Jesus in̄̄surre ctione: t ascēsione in celos: sicut nostis fra tres: impletis ibi decē diebus ppter quod dā sacramētū: misit spiritū suū sanctū: im pleuit discipulos. Ipse spiritus magnum flumē: vñ impleta sūt multa flumina. Be ipso flumine dicit psalm⁹ alio loco: Flumini sūt letificat ciuitatē dei. Ergo sunt facta currētia de vētre discipulorū cū accepserūt spiritū sanctū ipsa flumina accepto spiritu sancto: Tñ flumina eleuaerūt vo ces suas. Quare eleuaerūt: Quia primo timuerūt. Petr⁹ nōdū erat flumē: qn interrogatō ancille ter christi negauit dicēs: Nescio hominē. Hic timēs mentis: nōdū eleuat vocē: nondū est flumē. Abi aut im pleri sunt spiritu sancto: accersierūt eos iudei: t p̄ceperūt eis ne oīno loquerent: neq^z docerēt in noīe Jesu. Petr⁹ aut t Jo annes dixerūt ad eos. Si iustuz est coram deo: vt vobis obediamus magis q̄ deo: iudicate. Nō em̄ possimus q vidim⁹ t au diūm⁹ nō loqui. Eleuaerūt ergo flumi na voces suas. A vocibus aquarū multarū. Ad ipam elevationē vocis p tanet quod ibi scriptū est: Stetit autē Pe trus cuz vndecim: t eleuata voce dixit ad eos: Viri iudei: t cetera quibus annūciat

XCII

Yesum sine timore cū magna fiducia. Ele uauerūt eñ flumina vocē suaz: a vocibus aquarū multarū. Nam t cū dimissi essent apli de cōsilio iudeorū: venerūt ad suos t indicauerūt quāta eis sacerdotes t seniores dixerint. At illi audiētes leuaerūt vo ces vñanimē omnes ad dñm t dixerunt: Bñe tu es qui fecisti celū t terrā: t mare t oia q in eis sunt: t cetera que dicere potue rūt. Flumina eleuātia vocē suam. Mirabiles suspensore maris: Lū enim eleuassent voces suas discipuli: credidēt multi: t acceperunt multi spiritū sanctū: t ceperūt multa flumina clamare de pau cīs. Ideo sequit: A vocibus aquarū multarū mirabiles suspensore maris: id est hu ius seculi. Lū cepisset christus tantis voci bus predicari: cepit irasci mare: ceperunt crebescere psecutiones. Lū eleuassent ergo flumina vocem suā a vocibus aquarū multarū: mirabiles suspensore maris. Sus pensore exaltationes sunt: qr quādo irascitur mare: suspendunt fluctū. Suspendā tur fluctus quantū volūt: frenat mare qntū vult: mirabiles quidē suspensore maris: mirabiles mīne: mirabiles psecutiōes. Sz vide quid sequit: Mirabilis in̄̄ excel sis dñs. Compescat se ergo mare t aliqñ tranquillet: detur par christianis. Turba batur mare: fluctuabat nauicula. Nauicula ecclesia est: mare seculū est. Venit dñs: ambulauit sup mare: t p̄sset fluctus. Quo modo ambulauit domin⁹ super mare: Su per capita istorū fluctuum magnorū spu mantū. Protestates t reges crediderunt: t subiugati sunt christo. Ergo non terra mur: qr mirabiles suspensore maris: mirabilis in excelsis dominus. Testimoniū a tua t credita facta sunt nimis: M̄a gis q̄ mirabiles erant suspensore maris: t mirabilis in excelsis domin⁹. Testimonia tua credita facta sunt nimis. Testimonia tua: qr dixerat illō ante: Hec dico vobis: vt in me pacē habeatis: in mūdo aut p̄ssu ram. Ergo qr mūdus pressurā vobis factu rus est dico vobis. Ceperūt pati t affirmarunt in se quod illis predicerat domin⁹: t magis fortes facti sunt. Lū enim videbāt impleri in se passiones: sperabāt cōpleri in se t coronas. Et ideo mirabiles suspensore maris: mirabilis in excelsis dñs. Ut in me inquit pacem habeatis: in mūdo aut pres surā. Ergo quid facimus: Venit mare t ex tollūtur fluctus: t rabidi tremunt: p̄suras

Allia lfa.
t elevationes.

Allia lfa.
t altis.

Allia lfa.
t credibilla.

Psalmus

patimur. Nonne forte deficim? Absit. Mirabilis in excelsis dñs. Ideo et ibi cū dice ret: Ut in me pace habeatis: in mundo aut pressurā: quasi diceret: Putas nō premet nos mundus et extinguet nos: statim subie cit: Sed gaudete: qz ego vici seculū. Si g ait: ego vici seculuz: adherete illi qui vicit seculū: qui vincet mare. Gaudete ad eum qz mirabilis ē in excelsis dñs: et testimonia tua credita facta sunt nimis. Et quid factū est de his oībus: **D**omū tuā decet sanctificatio dñe: Domū tuā: totā domū tuā: nō hic: aut bic: aut ibi: sed domū tuā: tñ p totū orbem terrarū. Quare p totū orbem terrarū: Quia correxit orbē ter re qui non cōmouebitur. **D**om' dñi fortis erat: p totū orbē terraꝝ erit. Multi cadēt: sed dom' illa stat. Multi turbabunt: s̄ domus illa nō mouebit. Domū tuā decet sanctificatio dñe. Nūquid paruo tēpore: Absit. In longitudine dierū.

-- Alia lfa.
t sanctitudo,

Explícit. Tract. de ps. XCII.

Incepit Tract. de ps. XCIII. Icut intētissime audiūim' cū psalmus iste legeref: ita intente audiamus: cū reuelat dñs q hic dignat' est opacare mysteria. Ad hoc em claudūt qdam sacramēta scripturarū: nō vt dene gent: sed vt pulsantib' aperiant. Si g affe ctu pio et sincera cordis caritate pulsetis: ille aperiet q videt vñ pulsetis. Notū est nobis omnib' atq vtnā de numero corū nō sim': multos murmurare aduersus dei patientiā et dolere iniqs hoies et impios: vel viuere in hac terra: vel etiā plurimū posse: et qd est ampli' plerūq plurimū posse malos aduersus bonos: et sepe malos preme rebinos: malos exultare: bonos laborare: malos supbire: bonos hūiliari. Attendentes talia: in genere enī hūano abūdāt: puerū ipatiētes et infirmi animi: qsi fru stra sint boni: qz de' auertit: vel auertere yi det oculos suos a bonis operib' piorū et si deliū: et augere malos in his que diligunt. Putantes q infirmi frustra se bñ viue: aut invitant ad imitandā maliciā eoz qz qua si florere spiciunt: aut si p infirmitatē: vel p sone sue vel animi: timet in male facere: ne ali qd illis s̄m leges seculi mali accidat: nō qz iusticiā diligūt: sed vt dicā aperti' timētes dānari inter hoies vel ab hoib': abstinet se qdem a factis malis: sed nō se abstinent a cogitationib' malis. Et inf cogitationes

XCIII

corū iniqs precipue caput iniquitatis illa tener impietas: qz videt eis deus negligere et nō curare res huianas: et aut equaliter habere bonos et malos: aut etiā qd est perniciōs cogitare insectari bonos: mal fauere. Qui talia cogitat: et si nihil mali alicui faciat: facit plurimū sibi: et in semetipm im pius est: et iniqtate sua nō ledit deū: sed in terficit se: neḡ nocēt hoībus: qz timidi sūt qui talia cogitāt: sed tñ homicidia eoꝝ: ad ultera eorū: fraudes et rapinas eorū videt deus: et punit in cogitationib' cop. Quid em velint: ille attendit cui' oculus nō repel litur carne: vt nō videat volūtatem. Tales si occasiones inueniāt nō mali sūt: sed ma nifestant nō vt sentias quid natū sit manfestum: sed vt intelligas qd latebat inclu sum. Paucis his annis et p̄bauerūt etiā qui tarde intelligūt. Erat em hic vna domus potentissima ad tempus: de qua flagelluz fecerat deus generi humano: et castigatuꝝ est inde gen' humānu: si cognoscat flagellū patris et timeat sententiā iudicis. Cū ergo esset hic eadē domus magna: multi sub illa gemebāt: murmurabāt: reprehendebāt: detestabāt: blasphemabāt: quō se artāt homines et dantur diuino illo iudicio mul ti in cōcupiscētias cordis sui: subito euer tebant ipsaz domū illi qui murmurabāt de ipsa domo: et ab eis talia hoies patiebānt: q̄lia se pati ipi a talib' paulo āte q̄rebātur. Bonus g ille est qui et qñ potest mala face re nō facit: de quo scriptū est: Qui potuit trāsgredi et nō est trāsgressus: et facē mala et nō fecit: Quis ē hic et laudabim' eū: fecit em mirabilia in vita sua. Loqbatur sc̄ptura de potentib' innocentib'. Et lup' em tñ vult nocere quātū leo: dissiliter necēt: sed nō dissimilis cupiūt. Leo em non solū p̄tēnit canē latrante: sed etiā fugat: et venit ad ouile: et obmutescētib' canib' rapit qd pōt: lupus nō audet inter latrat' canū. Nūqd p̄tēra q n̄ potuit auferre a canib' terrū' innocentior remeauit: Bocet g de' innocentia vt q̄s̄q̄ innocentior sit: nō timore pene: sed amore iusticie. Tūc em liber ē innocentēs: et ver' ē innocentēs. Qui aut timore innocentēs sit: nō est innocentēs: q̄uis nō noceat cū vult no cere. Nō em nocet alteri pfectū malā: s̄ sibi plurimū p cupiditatē malā. Nā quō sibi noceat: audi sc̄pturā. Qui aut amat iniqtatē odit aliaz suā. Et reuera multū errat hoies q putat iusticiā suā alijs nocēt et sibi